



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptura, Et Vera Catholica
Doctrina, Atque Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De vera veneratione Christi Domini apud sacrosanctum Sacramentum 71

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

tenus infirmi sunt ac multa ignorantis cæcitate circumfusi homines: id quod Deus Pater noster cœlestis, propter dilectum Filium suum, vā cum aliis peccatis & erratis clementer ignoscet, vt antea dictum est.

Quod verò Aduersarij Irenæum obiiciunt, reprehendentem Victorem Papam, attende quæso Christiane Lector, quā directè & integrè hoc ab eis factum sit. Papa Victor conabatur Ecclesias Asiaticas, aliâque in vicinis prouinciis ex cōmunicare, propterea quod festum Paschatis non eodem tempore obseruabant, quo obseruabatur Romæ: de quo tamen Papa iste nullum omnino verbum Dei habere poterat. Liber verò Reformationis nullam Ecclesiam propter vllam consuetudinem ritūque externum, qui verbo Dei non aduersatur, excommunicare conatur. Verum sacrosanctum sacramentum Cœnæ Dominicæ ad externam ac superstitiosam pompam exponere & deportare, quemadmodum apud Aduersarios fieri consuevit: veram autem perceptionem & manducationem, quam Dominus præcepit, negligere, horrendus & detestandus est huius sanctissimi sacramenti abusus: & manifestè cum verbo Dei ac fide pugnat. Hic est, quem Liber Reformationis damnat, ac meritò quidem: imò Deus ipse in verbo suo dudum eum condemnauit.

At hoc modo clarum est, Aduersarios in eandem Irenæi reprehensionem incidere, non Librum Reformationis. Ipsi enim plurimas Ecclesias, tanquam schismaticas & hæreticas condemnant, non tantum propter ædificantem externarum & indifferentium rerum mutationem, verum etiam propter necessarios quosdam ritus, à Christo nobis mandatos & institutos, quos Ecclesiæ istæ libenter in Ecclesiasticum reuocarent, quemadmodum reuera res se habet de tota Correctione S. Cœnæ Dominicæ. Verum de hoc in sequentibus articulis.

De vera Veneratione Christi Domini apud Sacrosanctum Sacramentum.

CAP. LXXI.

PORRÒ Aduersarij vt ostendant Librum Reformationis externam sacramenti venerationem cum auro & argento, immeritò reiicere, allegant præclarum exemplum Constantini Magni, & nonnullos quoque Canones: postea concludunt his verbis, Quicquid in Dei honorem ad honorificam & dignam conseruationem sacramentorum deuotione Christiana impenditur, nequit profectò esse malum.

Responsio. Quid de extruendis & ornandis Templis, item de pretiosis vasis mysticis in Christianismo sentiendum sit, de eo iam antè dictum est, in defensione Articuli de Bonis operibus & Oblationibus. Porrò quantumuis Papa Damasus, vel alij Constantinum prædicauerint, propterea quòd multos calices & patinas ex auro argentoque fabrefactas ad signissimi istius sacramenti honorem contulisset, laus tamen Exuperij

Laure

Laurentij, Ambrosij, & aliorum posterioris temporis sanctorum Patrum, qui eiusmodi pretiosa vasa & ornamenta confregerunt, & inter pauperes distribuerunt, captiuosque per ea redemerunt, s. scripturę longę magis consentanea est, nouoq; testamento propria.

Canonem Concilij Triburiensis, qui est in ordine decimoctauus, & Gratianus & Aduersarij perperam adduxerunt. Responsum enim D. Bonifacij martyris & Episcopi, quę in memorato Canone integra ponitur, mutilarunt. Sic enim introducit eam dictus Canon. Cum Bonifacius martyr & Episcopus interrogatus esset, si liceret in vasculis ligneis sacramenta conficere, respondit, Quondam aurei sacerdotes non aureis, sed ligneis calicibus utebantur: sed nunc contrarium euenit, lignei sacerdotes aureis vtuntur calicibus. In eodem loco commemoratur, Severinum decimum sextum Romanum Episcopum patinis vitreis Missas celebrari ordinasse.

Interim autem verum est, quod istud Triburiense Concilium ad augenda ornamenta Ecclesię, quemadmodum pretendit, interdixit sacramentum confici in vasculis ligneis. Indicent autem pij ac sapientes Christiani, vtrum Ambrosius, Exuperius, Hieronymus, Chrysostomus, & alij S. Patres, qui adhuc verę aurei sacerdotes erant, verum ornatum Ecclesiarum Christi melius intellexerint, & augere magis cupuerint, qui vitreis aliisque non pretiosis vasis ad sacramenta utebantur: aurea verõ & argentea ad sustentandos pauperes, captiuosque redimendos vendebant: an verõ illi Episcopi, qui in hoc Germanico Concilio, quo tempore lignei sacerdotes, vt D. Martyr & Episcopus Bonifacius conqueritur, Ecclesiis Christi præesse cõperant, congregati fuerant.

Porro si ad veram originem, & infallibilem regulam Dominum ipsũ & Apostolos eius respicere voluerimus, qui sine dubio omnia ad verum Ecclesię ornatum, & honorem Sacramentorum conducentia, quã optimẽ intellexerunt, ac diligentissimẽ requisuerunt, inuenimus eos nullum peculiarem apparatus, sumptum vel ornatum in vasis mysticis vel postulasse, vel ipsos vsurpasse. Nam vt D. Ambrosius inquit, *Aurum sacramenta non querunt, neque auro placent, que auro non emuntur. Ornatu* Lib. 2. de
Off. cap. 8. *Sacramentorum redemptio captiuorum est, &c.* Quamuis nec iste Canon Concilij Triburiensis amplius aliquid præcipit, quã ne sacerdotes ligneis calicibus vtantur. Alter Canon, citatus ab Aduersariis, est de decretis recentioris Concilij Rhemis celebrati eo tempore, quo lignei sacerdotes longẽ vehementiũs inualuerant.

Postremõ quod Aduersarij concludunt, Quicquid in honorem Dei, ad honorificam & dignam conseruationem sacramentorum, deuotione Christiana impenditur, id malum esse non posse, non malẽ dictum esset, si rectẽ intelligeretur, quid sit Christiana deuotio, quę certẽ existere nullo modo potest, vbi nullum verbum & mandatum Dei exrat. Nadab & Abiu offerebant incensa sua, Leuit. 10. Vziahu rex 2. Paralip. 28. adolebat, idque non sine deuotione. Ea vera diuina non erat, quapropter grauissimẽ puniebantur à Deo. At quid aliud in ea desi-

In Apolo-
gia ad Ab-
batē Cli-
macēsem.

derabatur, quàm verbum & mandatum Domini? Non igitur licet ex scelerata pulpa, ut inquit Persius, iudicare quid Deo placeat, & sacrosancta eius sacramenta ornet: sed ex verbo Dei. D. Bernardus existimat Poëtam istum scribentem contra Ethnicos, maiori cum vituperio & opprobrio nobis obiiciendum esse, ac dicit, Episcopi, quid sibi vult aurum in sacrario? Verum satis de his dictum est in Articulo de bonis operibus.

Quinta pars.

De Communionem sub utraque specie.

Arguere abusus, non est condemnare Catholicam Ecclesiam.

De dicto Cypriani Epistola 3. lib. 2. utique ille Sacerdos vice Christi fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur.

C A P. LXXII.



In hoc articulo quadruplicem accusationem instituunt Aduersarij. Cuius primum caput est, Quod liber Reformationis vniuersam Christi Ecclesiam damnet, quæ laicis, sacramentum illud longo iam tempore sub vnâ tantum specie porrexit: tum quod dicit, Hunc abusum tacitè irrepsisse.

Alterum est librum Reformationis sacramentum istud duo sacramenta, eadèmq; panem & vinum appellare, & aliàs de hoc ita loqui, ac si sub altera sola specie non contineantur simul corpus & sanguis Domini.

Tertium librum docere, quod oporteat nos apud sacramentum istud omnia & singula necessariò facere, quæ Christus in Cœna sua peregit, nec ab eo vllis modis recedere, licet etiam Angelus de cœlo, aut Apostolus aliquis aliud doceat vel prædicet, nec curandum esse, quid nomine Cœnæ aut missæ antehac toto mundo obseruatum sit, aut modò obseruetur. Et quod hucusque ignoranter in hac sacratissima actione actum sit, aliter quàm ordinauerit.

Quartum librum torquere sanctum Cyprianum aduersus Catholicam Ecclesiam, quasi præsidem Ecclesiarum in eo, quod sacramentum sub altera specie hucusque porrexerunt, ministerio & vice Christi non sint perfuncti: quin potius mandatum eius abiecerint, propter traditiones hominum, atque ita se constituerint reos corporis & sanguinis Christi.

Defensio Libri, sumpta ex verbo Dei, & Obseruatione veterum Ecclesiarum.

AD primum caput huius Accusationis. Testatur quidem liber Reformationis abusum esse, quod in S. Cœna non ambo sacramenta omnibus fidelibus ministrantur, iuxta institutionem & mandatum Domini: atque etiam affirmat eum tacitè irrepsisse, & à nullis Patribus tale quid ordinatum fuisse. Priorem partem quilibet Christianus facillè agnoscit, qui nouit abusum esse quotiescunque a liquid aliter usurpatur, quàm